



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum  
Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

Universæ Sodalitati Beatissimæ Virginis Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](#)

V N I V E R S Æ  
S Q D A L I T A T I  
B E A T I S S I M Æ  
V I R G I N I S  
M A R I Æ.



V M inter Societatis  
nostræ munia hoc nu-  
meretur, vt studiosa iu-  
uentus piè, recteque in  
Christianis moribus ac  
bonis litteris institua-  
tur; omnibus modis adlaboratum est ha-  
denus, vt illud quām modestissimè com-  
modissimeq. fieret; præsertim cùm vni-  
uersæ Christianæ Reipublicæ salus, apta,  
sinceraque adolescentum institutione  
contineatur. Et quidem non est difficile,  
adolescentes, dum præceptorum curæ  
committuntur, in officio retinerè; sed  
maximè curandum est, vt sic eorum ani-  
mi pietate imbuantur, ne metu tantùm,  
aut gloriæ cupiditate, aut alterius rei  
contemplatione virtutem sectentur; sed  
vt animis ipsis Dei metum concipient;

\* 2

diuino-

diuinoque amore succensi ad studia incitentur; utque ea quæ ab aliis hauserint, aliquando in proximorum utilitatē conferant: sic enim constantiis virtutem ac pietatem colent; neque ad oculum servient, & haud aliter priuatim nullo teste conscient, quam palam recte viuent.

Hæc cùm serio nostræ Societatis homines apud se cogitassent, nihil prætermiserunt, quo adolescentes sibi commissos eò perducerent. Ad quam rem efficiendam, tametsi experientia docuit plurimum valere pias præceptorum orationes, egregiarum virtutum exercitia, Pœnitentiæ & Eucharistiae sacramenta, quotidianum Missæ sacrificium, aliaq. id genus, quæ in Collegiis nostris & scholis frequentantur: iudicatum tamen etiam est, non parum momenti habitus sim, si adolescentes piis sanctisque legibus in unam Societatem conuenirent; & ad redē sancteque viuendam, semetipsos quibusdam quasi vinculis astringerent. Ita enim futurum videbatur, ut mutua sanctaq. conspiratione, virtuti staderent, & quod anteà horabant, aut aspernabantur, hoc nunc maximè expeteret, quando ma-

do magna animorum consensione, mul-  
ti pietatem quasi ex instituto profite-  
rentur.

Visum autem fuit non abs re hanc So-  
dilitatem sub auspiciis, & fauore, pat-  
cinoque B<sup>m</sup> Virginis Mar<sup>i</sup>æ instituere,  
ut quo maioris dignitatis est patrona, eō  
& maiori religione coleretur, maiusque  
auxilium afferret. Quis enim ignorat,  
Matrem Regis totius vniuersi, Reginam  
quoque esse orbis? Et si Apostolus seruus  
Iesu Christi omnia potuit in eo, qui se  
confitabat, hanc etiam posse omnia in  
eo quem genuit? Non immerito hæreti-  
ci omnes hanc virginem vnanimi studio  
oppugnant, per quam cunctæ hereses in-  
teremptæ sunt in vniuerso mundo: Nec  
sine causa serpē insidiatur calcaneo eius,  
per quam conteritur caput ipsius; & dra-  
co persequitur mulierem, per quam ipse  
princeps mundi ejicitur foras. Nam vir-  
tute huius virginis, & ex animis homi-  
num, & ex corporibus s<sup>æ</sup>pē pulsus est  
diabolus. Theophilus qui se potestati d<sup>e</sup>-  
monis, dato chirographo, deuouerat,  
huius beneficio, eadem recuperato, re-  
stitutus est Christo: Maria Aegyptiaca

\* 3

huius

huius ope admissa in templum, adducta  
est ad pœnitentiam, & admirabilem vitæ  
monitionam. Julianus Apostata, cùm  
in eam contumeliosus fuisset, diuini iu-  
dicij vltione in bello Persico per eandem  
interiit, vt teitis est Amphilochius. Huius  
Virginis fauore Comneni Imperatores  
Manuel & Ioannes, de Schytis & Pan-  
noniis triumpharunt, vt auctor est Nice-  
ta Choniates. Per hanc Christus recon-  
ciliatus est humano generi, quando Al-  
bigensium hæreticorum temporibus, iu-  
sta indignatione succensens mundo, in-  
Theodorus Apoldius lib. 1. de S. Domineo ca. 12 teritum orbi minabatur; precibusq; Ma-  
tris suæ, duos Religiosorum ordines per  
beatos Dominicum & Franciscum, ad  
hominum animos à vitiis ad virtutem  
conuertendos, excitauit.

Hæc igitur tot tantorumq; bonorum  
auctrix, in Sodalitatis Patronā electa est,  
vt studiosæ iuuentutis nostræ curam su-  
sciperet: Et quæ dilecto discipulo Ioanni  
adhuc adolescenti, & ( sicut B. Hierony-  
mus loquitur ) penè puero commendata  
à Christo fuerat, vt eum curaret potius  
quàm vt ab eo curaretur; eadem illa se  
Dominā Matremq; exhiberet disci-  
pulis

pulis nostræ curæ commissis : quibus à  
filio suo & felix ingenium obtineret , &  
propensam ad virtutis studium voluntate  
tem , viresque ad proximos iuuandos.  
Enim uero non paucæ olim Respublie,  
adeoq; ditiones integræ huius sacratissi-  
mæ Virginis patrocinio se commiserunt:  
quod Alsatia tota, Hungaria, & Belgica  
nobilis ptouincia testantur , quæ simul-  
atq; fidem suscepereunt, simul etiā Christi  
Matrem in singularem elegerunt Regio-  
nis Patronam. In Belgio sanè Cathedra-  
les Ecclesiæ Cameracensis, Tornacensis,  
Atrebaten sis, & Tungrensis in B. Mariæ  
Virginis honorem, consecratæ sunt Deo.  
Antuerpiësis porrò ciuitas originē suam  
& progressum Dei Matri debet; sicut Ar-  
gentiensië Rempublicam suam flo-  
rentissimam. Cæteræ porrò regiones, per  
orbem ferè vniuersum , aliquas retinent  
celebriores huius scratissimæ Virginis  
memorias, in quibus ad suæ Matris glo-  
riam celebrandam, Christus illustria mi-  
racula frequentissimè edit . Lauretana  
domus in Italia , quæ non videt quotidie  
mirabilia Dei ad sacrum illud Virginis  
cubiculum,in quo Nazarethi,angelo Ga-

Urbiele internuncio, Verbum caro factum  
est? quod Angelorum ministerio ex Pa-  
lestina in Italiam translatum, magnam  
affert Christi fidelibus voluptatem. An-  
nunciationis memoria Florentiae, quam  
plurimæ aliae in B. Virginis honorem  
Romæ eratæ, ac præsertim prima illa,  
vetustissimaque ad præsepe Domini Ba-  
silica, quam S. Mariam Maiorem vulgo  
appellant, deuotionem Italici populi in  
Dei Matrem contestantur. Gallia quoq;  
habet non minus celebria templa ac lo-  
ca, in quibus D. Virgo præcipuo quodam  
honore colitur, magnusque fit Christianorū  
ad ea visenda religionis causa,  
concursus: Carnotense in medio Galliæ;  
Apud Aruernos Ecclesia nostræ Domini-  
næ de Puteo; Apud Parisijs Ecclesia Do-  
minæ Virtutum seu Miraculorum; Apud  
Picardos Ecclesia nostra Dominæ gau-  
diorum, &c. Quæ omnes pluribus mira-  
culis sunt celebratissimæ. Sed neque Hi-  
spania hac vñquam laude caruit: Visun-  
ture enim in illo amplissimo Regno, loca,  
tempisque singulari pietate illustria, in  
quibus Deipara Virgo, vim numenque  
suum multis miraculis, magno gentis il-  
lius

lius commodo, & utilitate declarauit;  
In monte Serrato; Guardaloupæ: In ci-  
uitate Burgensi locus vulgò dictus, No-  
stra Domina Cælida: In Cantabria in  
portu Vilbau, nostra Domina de Ar-  
rancasou. Germania deniq; Superior ple-  
na est huiusmodi Ecclesiis, antiquissimis  
præditis religionibus, miraculisque illu-  
stribus, Oettingæ, Ditzelbach, Spiræ, in  
heremo Heluetiorum, Aquisgrani, Cel-  
læ in Styria, &c.

Hæc igitur sacratissima Virgo Dei ge-  
nitrix, quæ tot populorum patrocinium,  
curamque suscepit, non immerito Pa-  
tronæ esse debuit studiose iuuentutis no-  
stræ; & eò vel maximè, quod eius glo-  
riam & maiestatem tâtoperè eleuare ni-  
tantur hæretici omnes. Lutherus non  
pluris sacratissimam illam Virginem fe-  
cit sacrilego scro suo Catharina Bor-  
nensi, ex sanctimoniali, impurissimi hæ-  
resiarchæ meretrice. Centuriatores Mag-  
deburgenses omnes ingenij sui neruos  
contendunt, conquisitis vndique argu-  
mentis, ut eam vilissimis ancillis vel pa-  
rem, vel inferiorem faciant. Itaque iam  
obtinuit apud hæreticos spurcissimi illius

\* 5 Con-

Constantini Copronymi sententia, Ma-  
riam virginem, quamdiu quidem plena  
erat Deo, nobilem fuisse, omniq[ue] ho-  
nore propter filium Dei, quem vtero ge-  
stabat, dignissimam : At vbi enixa est fi-  
lium, iam vnā esse de vulgo peccatricem,  
ambitiosam, vitiis, & peccatis commu-  
nibus obnoxiam. Has blasphemias voces,  
quas Christus, & misericordiae Mater be-  
nignè & clemēter tolerant ; si fortè men-  
tem aliquando ad meliora conuerterint,  
Christiani dissimulare non debent ; po-  
tissimū verò studiosi adolescētes, qui  
in id studium suum conatusque omnes  
conferre debent, vt maiestatem Matris  
Dei ab his impiis, sceleratisque conuitiis  
vindicent, & communem orbis Regi-  
nam & Dominam, qua par est dignitate  
prædicent, laudent, commendent.

His igitur de causis cū Sodalitas hæc  
sub augustissimo nomine sacratissimæ  
Virginis Matris Dei primūm Romæ,  
deinde Parisiis instituta esset, & fructus  
vberrimos adferret ; Duacense Societa-  
tis Iesu Collegium, à religioso celebriqué  
monasterio Aquicinctensi fundatū, ean-  
dem Sodalitatem inter suos alumnos in-  
ducen-

ducendam iudicauit; qua inita, tanta statim in omnibus morum mutatio visa est; tanta in studiis diligentia, & feroꝝ; tantus in litteris progressus, vt & Collegij fama ad omnes ferè Europæ ditiones peruagaretur, & cætera Duacene Academiæ Gymnasia eandem Sodalitatem capesserent. Non ita multò pòst Colonienſe Collegium, eadem inita, euſi fructum reportauit, vt non ſolùm magno numero studiosorum vndique accurentium accessio fieret, ſed inclitæ illius Reipubl. in auita religione conſeruatio, à plerisq; huic Sodalitati tribueretur. Siquidem vi- ri primarij ex clero & populo, adeoque Epifcopi non pauci, & ipſe Re<sup>mus</sup> Nun- cius Apostolicus Bartholomæus de Por- cia, vi singulare virtute ac pietate prædi- tus, æternaque memoria dignus, cùm fa- milia ferè ſua vniuersa, datis nominibus suis, in numerum Sodalium referri vo- luerunt; quorum industria effectum eſt (ſacratissimè Matris Dei nutu ac fauore) vt Senatus Colonensis, & fidem Catho- licam constantissimè retineret; & grauiſ- ſima ab hostibus intentata pericula, ma- gno animi robore depelleret ac ſuperar- ret.

ret. Hoc fructu latè sparso ac disseminato, etiam cætera Rhenensis Provinciæ Collegia eandem Sodalitatem experie-  
runt, & maiorem quam arbitrabantur, ex ea vtilitatem reportauerunt.

Quia autem inter cætera hoc Sodali-  
bus in primis propositum esse debet, vt  
non suæ modò saluti consulant, sed ad  
proximorum quoque ipsorum labor & in-  
dustria deriuetur; cùm mihi Coloniæ  
demandata esset Sodalitatis istius guber-  
natio, cœpi adolescentibus quædam de-  
ratione cōfitendi, communicandi, oran-  
di, meditandi que proponere, aliaq; non-  
nulla, quæ partim à piis quibusdam do-  
ctisque nostræ Societatis hominibus ac-  
ceperam, partim ipse ex veteribus Patri-  
bus, & recentioribus Catholicis scripto-  
ribus collegeram; quæ cùm nō sine mo-  
lestia ab ipsis describerentur, vt eos hoc  
onere leuarem, ex usu futurum videba-  
tur, si typis in eorum vtilitatem ederen-  
tur. Exiit igitur Libellus sub nomine  
Bullæ, quæ de fidei professione præfixa  
erat, statimque ita in manus iactari ac  
perulgari cœpit, vt & sæpius multisque  
in locis recuderetur, & in varias linguas  
conuer-

conuerteretur. Quod me in admiratio-  
nem rapuit , cùm solis discipulis nostris,  
communisque & rudi stylo eum libellum  
conscripteram. Quid tamen hic qualis-  
cunque labor gratus ac iucundus visus  
est Catholicis etiam prouectiōbus , qui  
non exiguum fructum se ex eo p̄ceipe-  
re affirmarent ; existimauit necessarium  
esse, Libellum de integro excutere, non-  
nullaque ad plurimum vtilitatem adiun-  
gere, illumque meo nomine (quod latere  
non potuit) vobis Sodalibus charissimis,  
tanquam dignus meæ erga vos beneuo-  
lentiæ, dicare. Ad tres igitur libros, qui  
haec tenus in lucem prodierunt , duos  
alios adiunxi, & ex priori tertium facere  
opportunum mihi visum est , quod de  
meditationibus agat nouissimorum hu-  
manæ vitæ, quæ non parum ad vitia om-  
nia depellenda ac propulsanda, momenti  
habent . Posterior ultimo loco explicat  
Orationem Dominicam, Salutationem  
Angelicam, & Apostolorum symbolum,  
vt ista Sodales edocti, alios iisdem quo-  
que præceptionibus imbuere curēt : sunt  
enim non sine methodo explicata, suisq;  
distincta numeris , vt & clarius intelli-  
gantur.

gantur, & facilius memoriae commen-  
dentur. Et licet hunc librū soli primūm  
Coloniensi iuuentuticōscripserim: nunc  
tamen eum vniuersae Marianæ Sodalita-  
ti consecro dedicoque; Dominam no-  
stram, Patronam & Aduocatam rogans,  
vt eius fauore atque auxilio, & vos So-  
dales, & per vos, cæteri Christi fideles,  
fructum etiam aliquem reportent: Vos  
quoque adhortans, vt Christi Matrem  
ex animo veneremini; eius honorem ad-  
uersus hereticos omni studio conatuque  
defendatis; ad eamque colendam quam  
plurimos vestro exemplo induatis; &  
hoc libello ad eius gloriam, vestramque  
& aliorum salutei vtamini; mihique  
vestris precibus fauorem eius & patro-  
cinium impetretis. Valete.

Vester in Christo seruus

Franciscus Costerus.

S O-